

tri, eatenus in hominum opinione fundamentum habet, quatenus sponsa quamdam inducere incipit uxoris personam, contra quam sit in rei veritate; atque in sponsalibus licet irritis, ea uxoris imago adhuc publicè saltem in opinione hominum retinetur. Sed rursus notandum est, hodie nos adhzrere oportere definitioni Tridentini Concilii, qua decretum est, ut quacumque ratione sponsalia valida non sint, nullum publicæ honestatis impedimentum contrahendis matrimonii obsit. Observandum etiam est, publicam honestatem statim quidem habuisse, & habere locum in sponsalibus purè, non autem sub conditione contractis, nisi jam conditio evenerit; proindeque si ante eventum conditionis sponsalia dissolvuntur, nullum esse contrahendo conjugio impedimentum, etiam si fortè deinde conditio exiterit, dicto cap. un. de sponsalibus in 6.

Habent, ut diximus, sponsalia quamdam matrimonii imaginem, & sponsa non longè distat ab uxore. Hinc est, quòd aliquando sponsæ uxorum, & conjugum nomine in sacris canonibus appellentur, can. 12. & 14. c. 27. quæst. 2. Hinc etiam est, quòd plurima, quæ de uxore statuta sunt, ad sponsam facillè vel legibus, vel recta legum interpretatione protrahantur. Hinc Ulpianus in l. 6. §. 1. ff. de gradibus, & adfinibus scribebat: *Generi & nurus appellatione sponsus quoque, & sponsa continentur; item socii, & sociæ appellatione sponsorum parentes contineri videntur, & in l. 8. ff. eod. tit. Pomponius: Servius rectè dicebat, socii, & so-*

crus, & generi, & nurus appellationem etiam ex sponsalibus adquiri. Ex hac regula fuit in legibus, quibus excipitur, ne gener, aut socer invitus testimonium dicere cogatur, generi appellatione sponsum quoque filia contineri, item socii sponsæ patrem, l. 5., juncta l. 4. ff. de testibus. Hinc præterea fit, ut, quoniam lege Pompeja de parricidiis statutum erat, tanquam parricidam habendum esse, qui uxorem, aut virum occidisset, ita censendus esset parricida, qui sponsam suam occidisset, aut sponsæ parentem, l. 3. & 4. ff. ad leg. Pomp. de parricidiis. Hinc itidem est, quòd quemadmodum marito actio injuriarum conceditur, si fortè in uxorem illata injuria fuerit, ita & sponsæ concedatur ob injuriam illatam in sponsam, l. 15. §. 24. ff. de injuriis. Hinc insuper est, ut si sponsa jam dotem sponso dederit, nuptiis non secutis, dotem eandem repetere valeat eadem actione, qua dos ab uxore legitima, soluto matrimonio, repeteretur, l. 74. ff. de jure dotium, eademque ratione, quemadmodum lege Julia cautum fuit, ne prædia dotalia alienari à marito, aut obligari valeant, ita nec eadem dotalia prædia à sponso alienari queant, vel obligari, l. 4. ff. de fundo dotali. Hinc denique deducunt gravissimi Civilis Juris Interpretes, tacitam hypothecam, ipsum quoque hypothecæ privilegium uxori favore dotis concessum in bonis mariti, facillè etiam sponsæ, quæ dotem jam sponso tradidit, accommodari.

CAPUT IV.

Quibus ex causis sponsalia dissolvantur.

Nunc superest, ut causas pandam, quibus sponsalia jure contracta dissolvuntur. Vulgò plurimæ numerantur. Ut enim omnittam, morte alterutrius sponsi, superstitem esse omni obligatione solutum, in primis consensu eorum, à quibus contracta sunt, etiam receptum est dirimi sponsalia; qua in re admissa fuit generalis juris regula, quæ definit, unumquodque eo modo dissolvi, quo colligatum est, cap. 1. de regulis juris. Apud Romanos veteres obtinebat, patrem sponsæ, quam haberet in potestate, nuncium remittendo sponsalia posse dissolvere, l. 10. ff. de sponsalibus; quomodò enim Romano jure constitisset, justumque dici potuisset conjugium, cui pater sponsæ non consensisset? Quod tamen de patre dicitur, locum non habebat in tutore post sponsalia jure à pupilla contracta, l. 6. ff. eod. tit., neque enim sicut patris, ita & tutoris, cujus officium pubertate pupillæ expirat, consensus necessariò in subsequentibus nuptiis requirebatur. Sed hodie, postquam receptum est, parentis consensum ad conjugia, aut sponsalia validè contrahenda minimè requiri, recipi quoque facillè debuit, solum parentis dissensus non sufficere ad contracta sponsalia dissolvenda. Res redacta fuit ad unum contrahentium consensum, qui si ex utraque parte interveniat, in causa est, ut obligatio rescindatur, cap. 2. de sponsalibus; imò etiam, uti superius traditum est, in sponsalibus impuberum observatur, sponsum puberem factum posse etiam invita altera parte à data fide resiliere, quod tamen omninò singulare est, & inductum gratia pupillaris ætatis, cujus consensus quoque modo imperfectus esse videtur. Quod de mutuo dissensu sponsorum generaliter traditur, adeo verum est, ut obij-

neat, etiam si sponsalia fuerint jurejurando firmata, dicto cap. 2. de sponsal., etenim cum jurandum non aliam ob causam sponsalibus adjiciatur, quam in contrahentium sponsorum utilitatem, quo scilicet unusquisque magis magisque alterum sibi devinciat, quid amplius operabitur, ubi unusquisque nexum liberè dirimere argumento cap. 29. vers. *Juramentum* de jurejurando. Cæterum antequam ulterius progrediar, nonnulla adnotare juvat ad capitulum 2. de sponsal., ubi exhibetur Innocentius III. tradens, si uterque sponsus à sponsalibus recedendum velit, posse id in *patientia tolerari*. Nùm exinde inferetur, id minimè licere, ex ea regula, quam Innocentius III. tradit in cap. 18. in fine de præbendis, *multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitia non deberent tolerari*? Additur in dicto cap. 2. *ne fortè deterius inde contingat*: Nùm exinde inferetur, ad evitandum majus malum quiddam in proposito indulgeri, remitti, quasi & id malum sit, quod tamen vix mali speciem habeat in conspectu mali gravioris quemadmodum in argumento capituli 5. qui Clerici vel voventes Alexander III. indulsit cuidam mulieri post continentiam votum emissum, ut matrimonium contraheret, quod *tutus esset, ut mulier post votum simpliciter oblatum matrimonium contraheret, quam fornicationis reatum incurreret*? Non ita concludendum puto. Describendum in primis est integrum capitulum, quale in 1. collectione Decretalium legitur, utpotè in qua nonnulla habentur, quæ apud Gregorium IX. considerantur: deinde inquirendus capituli auctor: postremò ejusdem explicanda sententia. Ita legitur in 1. Decretalium collectione apud Antonium Augustinum in cap. 11. de sponsalibus: *Præfata ii,*

qui matrimonio contrahendo parè, & sine omni conditione fidem dederint, & juramentum fecerint, commoneandi sunt, & diligentius exhortandi, & omnibus modis inducendi, ut fidem præstent, vel juramentum factum observent, & se, sicut promiserint, conjungant. Si autem se ad invicem admittere noluerint, ne forte deterius inde contingat, ut talem scilicet ducat, quam odio habeat, videtur, quod adinstar eorum, qui societatem juramento, vel interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari. Adnotat Antonius Augustinus, rescriptum illud tributum fuisse Innocentio III., sed eidem Pontifici tribui rectè non potuisse à collectoribus; etenim collectio 1. Decretalium edita fuit ante eundem Innocentium, cujus in eadem collectione nulla extant, nec extare poterant decreta, nisi forte respicias ad cap. 2. de Presbyt. nondum baptizato, translationem in cap. 2. eod. tit. apud Gregorium IX., quod ex eadem causa Innocentio III. adscribi à laudato Antonio Augustino non potuit. Hinc qui accuratiores erant, in eadem 1. collectione Decretalium in dicto cap. 11., sicut & in cap. præcedente nomen Innocentii II. adscribere maluerunt; nescio, an satis aptè, quando in capitibus præcedentibus, nimirum à primo usque ad nonum, descripta erant decreta Alexandri III., iterum autem in subsequentibus capitulis à duodecimo, & deinceps, plura subjecta sunt ejusdem Alexandri III. decreta; neque est verosimile, Collectorem Bernardum Papiensem voluisse inter media Alexandri III. rescripta interficere duo decreta Innocentii II., qui Alexandrum III. præcessit, propterea quod Collector idem ordinem temporis, & ætatum rescribentium Pontificum in edendis rescriptis servare consueverit. Antonius Augustinus non improbavit in notis ad dictum cap. 11. eos, qui legendum mallent Alexandri III. nomen, neque injuria, quando scimus, ad Bartholomæum Oxoniensem Episcopum plura fuisse rescripta ab eodem Pontifice directæ,

cap. 6. de fil. presbyt., cap. 17. de offic. & potest. judic. deleg., cap. 4. de pacatis, cap. 3. de arbitris, cap. 6. de judiciis, cap. 3. de dolo, cap. 6. & 9. de restit. spoliati, cap. 18. de testib., cap. 1. de appellacion., cap. 1. de confirmat. ut. vel inut., cap. 3. de pignor., cap. 4. de convers. conjugat., cap. 1. de voto, cap. 6. de jurepatron., cap. 4. 5. & 6. qui fil. sint leg., cap. 4. ne Prælati vices suas, cap. 6. de homicid., cap. 3. de excessibus Prælatorum. Itaque indulgeamus gravissimæ conjecturæ, & postquam Alexandro III. rescriptum vindicavimus, ejus sententiam investigemus. Propositum fuerat Alexandro; inita fuisse certa consensione sponsalia, id est præter, ac sine ulla conditione, imò & eadem sponsalia fuisse jurejurando firmata; quæsitumque, an quoties contrahentes mutuò datam fidem, & vinculum jurisjurandi remisissent, absoluti ab omni vinculo censerentur. Responsum, id posse in patientia tolerari, ne forte deterius inde contingat. Hæc loquendi formula ab Alexandro prolata non significat quidem dispensationem quandam, & indulgentiam adversus leges præbitam; sed potius declarationem quandam, qua demonstraretur, nihil adversus leges sponso illos fuisse molitos. Etenim Alexander in cap. 5. de pacatis expressè fatetur, non debere aliquatenus tolerari, quod iniquum est, & sacris Canonibus inimicum; item idem Pontifex in Epistola ad Abbatem Ursi Campi, & Decanum Rhemensis edita apud Mansium in tomo 2. Labbeani supplementi pag. 512. proposita specie conjugii inter quosdam contracti, adversus quod quidam adolescentes amore potius avaritia, & odii livore periculi in judicio contendebant temerè & sine causa, professus est, esse tolerabilius, ut conjugium illud minimè dissolveretur; unde grave argumentum capitur, tolerari id dici consuevisse ab Alexandro, quod legibus minimè improbaretur; quasi Pontifex ille lenioribus, & modestis loquendi formulis uti soleret, quem-

quemadmodum in cap. 4. de convers. conjug. in eadem Epistola ad Episcopum Oxoniensem dissimulari posse dixit, quod probandum, & admittendum erat, argumento cap. 1. eod. tit. Idem Alexander III. scripsit, posse in patientia tolerari, quod ipse comprobabat in cap. 2. de frigid. & malef. Præterea observo, Alexandrum non fuisse de eo potissimum sollicitum, quòd vellet, omnino semel datam sponsalium fidem impleri, sed de eo, quòd jusjurandum sponsalium adjectum nunquam violaretur; quamquam enim pro certo haberet, generaliter pacta omnia, exemplo, ut ipse scribit, societatis, mutuò contrahentium dissensu dissolvi, scrupulo tamen non carebat, quoties jusjurandum interpositum pridem fuisset, quasi jusjurandum impleri non tam privatorum, quàm publicè interesset, à quo propterea non sufficere videretur ad liberandum pactio privatorum. Hinc ipse sibi regulam quandam constituerat juxta summum juris apicem ferè custodiendam, ut semper jusjurandum servaretur, nisi in dispendium salutis æternæ quandoquè verge-ret, cap. 8. de jurejurando, ac si tunc non privatorum conventio, sed religio ipsa jusjurandum irritum redderet. Accesserat ea ætate frequens jurisjurandi contemptus, quem jurandi frequentia, & corruptela morum induxerat; unde è re esse censuerat, jurisjurandi implendi gratia summum rigorem servari, etiam in iis causis, quarum effectus in irritum denique casurus esset, cap. 6. de jurejur., cap. 16. de sponsalibus, ad cujus interpretationem multa hinc non aliena inferius adnotabo. Itaque quum in dicto cap. 2. scripsit Alexander, se in patientia tolerare, innuit, non quidem se aliquid indulgere contra generales juris regulas, sed potius ex indulgentia recedere se à strictissimo juris rigore, quem sibi custodiendum ad evitandas ejus sæculi corruptelas in jurisjurandi implendi speciebus constituerat.

Altera causa sacris Canonibus com-

probata, qua sponsalia dirimuntur, est mutatio conditionis vel in utroque sponso, vel in alterutro tantum contingens, qua fiat, ut matrimonium amplius contrahi nequeat; est enim generalis juris regula, quæ tradit, universos hominum actus, eos præsertim, qui nondum absoluti sunt, qualia sanè sunt sponsalia ad futurum conjugium referenda, irritari, cum in eum casum incidant, à quo incipere nequeunt. Triplex est in proposito conditionis mutatio: Prima est, cum alteruter ex sponsis Monachus fiat, aut Sanctimonialis: Secunda, cum sponsus ecclesiasticis ordinibus initiatur: Tertia, cum alteruter cum alio, præterquam cum eo, quocum sponsalia contraxit, matrimonium contrahat.

Dirimuntur sanè sponsalia transitione, vel utriusque, vel unius tantum ex sponsis in monasterium, can. 27. & 28. caus. 27. quæst. 2., cap. 14. de convers. conjugat., si enim ista ipsum matrimonii rati necdum consummati vinculum dissolvit, facilius dissolvit sponsalium vinculum. Et quidem id generaliter probatur; disputari tamen solet, num ex ipso ingressu in monasterium, seu ex susceptione monastici habitus, an demum post emissam professionem dissoluta sponsalia intelligantur. Ego puto, sponsalia necdum professione secuta consistere quidem gratia illius, qui in sæculo, ut ajunt, manet, sed respectu illius, qui monachalem suscepit habitum, pro salutis haberi; ita nimirum, ut, pendente denique casurus esset, cap. 6. de jurejur., cap. 16. de sponsalibus, ad cujus interpretationem multa hinc non aliena inferius adnotabo. Itaque quum in dicto cap. 2. scripsit Alexander, se in patientia tolerare, innuit, non quidem se aliquid indulgere contra generales juris regulas, sed potius ex indulgentia recedere se à strictissimo juris rigore, quem sibi custodiendum ad evitandas ejus sæculi corruptelas in jurisjurandi implendi speciebus constituerat.

tum videatur; neque enim aliis repugnat, contractum, qui ex mutuo contrahentium consensu dissolvi potest ex parte unius dissolvi, consistere ex parte alterius, quemadmodum contingit in societate, l. 65. §. 6. ff. pro socio, quo exemplo usus est Alexander III. in dicto cap. 2. de sponsalibus, tanquam eo, cuius regulæ etiam sponsalibus accommodarentur. Hæc etiam vera sunt, licet sponsalia fuerint iurejurando firmata, quia iusjurandum naturam induit contractus, & obligationis, cui accedit; eamque ob rem eo ipso, quo sponsalium, iusjurandi quoque obligatio dissolvitur. His accedit, iusjurandi religionem semper quidem esse custodiendam, non tamen eousque, ut majus bonum impediatur, quale esset præ nuptiis contrahendis religiosa professio; habetur enim, qui iurejurando se ducendæ puellæ obstrinxit, ac si jurasset sub conditione, quæ tacite, & vi legis inest, si monasticam professionem non emiseric. Quod dico de ingressu in monasterium, recipiendum etiam puto in ea specie, qua alteruter ex sponsis non solemne, sed simplex, ut vocant, continentiam votum emiseric; qui enim post contracta sponsalia continentiam privato quodam spiritu vovet, sponsam non similiter voventem liberare censetur, quamquam se ab eadem minime liberet; ne fortè admittamus, ob privata quædam studia, & singulari continentiam bonum, à quo etiam fortè, qui vovit, sit recessurus, fraudem alteri fieri, cui jamdudum fuerat fides voventis obstricta, argumento cap. 5. qui Clerici vel voventes.

Qui ecclesiasticum ordinem post inita sponsalia suscepit, vel eo ordine initiatur, qui sacer est, & solemnem continentiam professionem requirit, vel eo, qui non sacer dicitur, seu infra subdiaconatum juxta hodiernam Ecclesiæ disciplinam. Quoties sacro ordine sponsus mittetur, irrita sponsalia fiunt, quod res incidat in eum casum, quo nunquam conjugium celebrandum sit. At quoties

sponsus tantum in minoribus ordinetur, is quidem sponsam à se liberat ob voluntatis mutationem exterius proditam, non tamen ipse liberatur, quousque in pendenti est, eundem Ecclesiæ constanter, & perpetuò adscribi, quod hodie fit per solam sacrorum ordinum susceptionem; neque aliud mihi videtur dicendum de eo, qui mutato laicali habitu, & vel clericali, vel religiosa veste indutus certæ Ecclesiæ ministerio in inferioribus officiis addicatur, utpotè qui factu suo, & saltem tacite sponsalibus renunciavisse censetur.

Irrita etiam sponsalia fiunt, utcumque fuerint iurejurando firmata, per conjugium ab alterutro ex sponsis cum alio de præsentis contractum, licet hujusmodi matrimonia tanquam illicita legibus improbantur, cap. 15. & 31. de sponsal., cap. 1. de sponsa duorum. Quod tamen ita intelligas velim, ut dissolvatur sponsalium obligatio ex parte non illius, qui matrimonium contraxit, sed alterius. Hinc qui matrimonium contraxit, quicumque casus emergat, quo in pristinam libertatem restituitur, non poterit quidem derelictam sponsam obstringere, cum nemo perfidia reus jure alienam perfidiam incuset; adhuc tamen tenebitur ad datam sponsalium fidem implendam, quemadmodum continget ex. gr. si contractum matrimonium aliqua de causa irritum fuisse deprehenderetur, aut si morte conjugis dissolveretur. Alter verò sponsus nulla amplius obstrinxit obligatione, qui propterea si recedere à sponsalibus velit, plena libertate potitur, ac tum res ita habebitur, ac si mutuo sponsorum consensu à sponsalibus recessum esset. Paulò aliter res sese habet, ubi quis post contracta sponsalia cum una, sponsalia deinde cum alia contraxerit; etenim priora sponsalia ita consistunt, ut statim & insuper habitis posterioribus impleri postulant priore sponsa & possint, & debeant, quod verum est, etiam si utraque sponsalia fuerint iurejurando firmata, cap. 22. spon-

salib., imò etiam verum arbitror, quamvis prioribus sponsalibus nullum accesserit iusjurandum, sed tantum posterioribus; etenim nemo ob iusjurandi religionem ad id adstringitur, quod implere sine peccato non potest, cap. 18. & 22. de iurejurando. Interea tamen ego non dubito, quin ea, quæ despecta esse videtur à sponso ad alias nuptias adspirante, nuncium remittendo libera fiat, quasi tunc sponsalia ex utriusque parte dissoluta penitus habeantur.

Tertia generalis dissolvendorum sponsalium causa est, quoties res incidit in eum casum, quem si contrahentes prævidissent, verosimile admodum est, eos non fuisse contracturos; non quòd in proposito iure ipso dissolutio fiat, sed potius quòd alterutro sponso postulante irritetur, quòd illi sua interesse proponant sponsalia dissolvi. Ad triplex caput causæ hujusmodi reducuntur. Primum est, cum mores mutantur. Alterum, cum evenit corporis vitium. Postremum, cum mutantur facultates, aut certa rei familiaris adjuncta.

Mutari dicuntur mores ad dissolvenda ex parte unius sponsalia, quoties alteruter ex sponsis in crimen fornicationis incidit, etiam si sponsalia fuerint iurejurando firmata, cap. 25. de iurejurando, quod licet de sponsa tantummodo conceptum sit, faciliè tamen etiam ad sponsum protrahitur, quia æquo jure & sponsus & sponsa propter idem in utroque sponsalium vinculum censentur, can. 20. caus. 32. quæst. 5. Ex parte, inquam, unius; nam qui reus criminis est, nullo modo audiendus erit, si ad se obligatione liberandum suam turpitudinem proderet, ne fortè crimen admissum ipsi reo aliquando prodesset: atque hæc jurisprudentia verissima est, ubi agitur de crimine admissio post contracta sponsalia. Quid verò si alteruter sponsus ante contracta sponsalia deliquisset? Ait Innocentius III. in dicto cap. 25., non posse præcedens crimen opponi, eam ob causam, ut puto, quòd crimen præcedens ho-

nestati quidem morum, non datæ fidei, ut potè ante datam fidem admittunt, adverteatur. Et quamquam sint, qui putent, distinguendum ad huc esse intereum sponsum, qui præcedens sponsum crimen ignorabat, & eum, qui noverat, si tamen verbis Innocentii insistamus, non erunt hujusmodi discrimina admittenda; nisi fortè ex eo crimine infamis sponsa facta fuerit, quæ sanè infamia nota cum perpetua sit, honestum virum jure optimo distrahit à tali uxore ducenda, quam honestam putabat. Potiore sanè jure sponsalia, & quidem ex parte utriusque sponsi dissolvuntur, quum post ipsa supervenit alterutrius adfinitas ex inhonesto coitu, quemadmodum in ea specie, qua sponsus sponsæ sorori commiseretur, can. 31. & 32. caus. 28. quæst., 1., res enim devenit ad eum casum, quo contracti inter adfines matrimonium nequit. Fateor, ob supervenientem adfinitatem non dirimi matrimonium jam contractum; sed facilius quam conjugia, dissolvi sponsalia nemo ignorat; & sufficit ad dissolvenda sponsalia, tale officii impedimentum, quòd contrahendo matrimonio obsit, licet contractum non dirimat. Sunt nihilominus, qui favore innocentis sponsi, ita sponsalia subsistere opinati sunt, ut teneatur reus ad dispensationem petendam àposito impedimento; verùm hæc mihi videntur nimis abhorre à recta Canonum disciplina, nisi fortè ex æquitate quædam rerum, personarum, seu causarum adjuncta aliquid in ea re relaxandum postulet, quod prudentis iudicis arbitrio relinquatur. Præterea mores alterutrius sponsi corrupti, ac mutati dicuntur ad dissolvenda sponsalia, quoties alter alterius odia in se per injuriam provocaverit. Atque id verum est, si in hæresim alteruter incidat, siquidem huc commodè refertur Sanctorum Patrum sententia, qua ducemur, hæreticos, & infideles inter fornicarios recenseri, can. 5. & 6. caus. 28. q. 1. Item verum est, si alteruter minus honestam vitam ducat, quæ ex turpi & impudica conversatio-

ne dignoscitur, l. 5. vers. *his illud* codi de sponsalib., insuper si alteruter tale crimen admittat, unde reddatur infamis: recepta enim est veluti regula generalis, graves istas morum mutationes, sicut ut plurimum in matrimonii contractis divertendi præbent legitimam causam, ita causam præbere sponsalium vinculo dissolvendo, quod sanè argumentationis genus Innocentius III. admisit in dicto cap. 25. de jurejur. in principio. Hinc etiam si talis evadat sponsi asperitas, vel sævitia, ut nonnisi miserabilis sperari possit contractis nuptiis sponsæ conditio, cur sponsa non concedetur in libertatem proclamare, quando, si nuptias contraxisset, jure divertere posset? cap. 13. in fine de restit. spoliat. Neque contrarium probari potest ex cap. 5. qui cler. vel vov., ex quo liquet, sponsam audita sponsi sævitia non aliter sibi cavisse, quam continentiam profitendo; præterquamquod enim, quod ibidem dicitur, ad factum potius pertinet, non jus constituit; observo, eam sponsam, quæ verebatur, ne terribili sposo nubere cogeretur, non compertam omninò habuisse sponsi sævitiam, sed tantum plura de ejus severitate audivisse.

Quoties fato quodam miserabili vitium corporis sponsus, vel sponsa contraxerint, & tale, ex quo prudentissimus quisque judicet, aut tristitem admodum futuram matrimonii celebrationem, aut alterutrum ex sponsis faciliè statim, & ipso sponsalium tempore non contracturum fuisse, si quod infansum accidit, prævidisset, sponsalia pæstante sano dissolventur. Quid enim ex. gr., si sponsa vim passa ab alio fuisset? Quid si morbo gravissimo, præsertim sontoico, vel alio quocumque insanabili corripere? His sanè, ac similibus eventibus casibus dissolvi sponsalia posse, videtur insinuavisse Innocentius III. in dicto cap. 25. de jurejurando, versiculo *Quod* n. cui addi potest capitulum 3. de conjug. leptosorum.

Non dissimilis est postrema muta-

tionis causa, quæ vel contingit in facultatibus, vel in adjunctis rei familiaris. Hinc sponsalia dissolventur, quoties alteruter ex sponsis tempore sponsalium dives in gravissimam deinde incidat paupertatem, secus tamen ac contingat in eo, qui cum tempore sponsalium pauper esset, ingentes deinde opes adquisivit; cum aliud sit, quemquam in meliore fortuna collocari, aliud novas emergere odii causas in eo, cujus fidem quondam obstrinximus. Quæ tamen ita semper intelligenda velim, ut is, in quo nulla immutatio contigit, resiliere possit, si velit, non verò etiam resiliere valeat alter, qui immutationem, sive infortunium passus est. Ad adjuncta rei familiaris, quibus immutatis sponsalia dissolvi possunt, illud spectat, quod tradi solet, alterutrum ex sponsis excusari, si fidem implere recuset, quoties inter sponsos, vel sponsorum parentes, capitales inimicitia subortæ fuerint, nec faciliè speretur reconciliatio, ne scilicet infelix sit hujusmodi conjugiorum exitus, quod semper avertendum sacri Canonis voluerunt, can. 3. caus. 31. quest. 2., cap. 2. & 17. de sponsalibus.

Postrema causa, qua ex parte alterutrus sponsi sponsalia dissolventur, est, quum unus ex ipsis obicem ponit, ne legitimo tempore sponsalia contrahantur, quin nulla legitima subsit ponendi obicis ratio. Id ex. gr. contingit, quoties sponsalia diem habent adjectam, dieque eventiente sine æqua causa sponsus detrahit fidem implere, & differri adhuc matrimonium postulat, cap. 22. de sponsalib., quo definitur, licere sponsæ, quæ parata erat veniente die ad matrimonium contrahendum, ad alias nuptias aspirare, etiam si sponsalia fuerint jurejurando firmata. Item contingit, quoties sponsus diu adsit ita, ut spes nulla supersit eum brevi reversurum, cap. 5. de sponsal., ubi cum certum, determinatumque tempus non designetur, supplendum erit ex l. 2. cod. de sponsal.

ex

ex qua absentis intra eandem provinciam biennii tempus conceditur; quin ullum negotium facessat lex 2. cod. de repudiis; quod enim jam triennii tempus expectatum in proposita specie fuerit, ad factum pertinet, non ad juris regulam; nisi dicere malis, Valeriani, & Gallieni prudentiam abrogatam fuisse, seu intra breviora tempora coarctatam, Imperatorum Constantii & Constantis constitutione. Imò ego non dubito, ipsam adhuc sponsam, non expectato biennii termino, petere in judicio posse sponsalium dissolutionem, si sua interesse putaverit; qua in re plurimum indulgetur arbitrio prudentis judicis, qui sanè non omittit vocare in jus sponsum absentem, iis receptis modis, quibus etiam absentibus iudici solet, ut se in judicio sistant; possit enim, qui absens est, proponere legitimas absentia causas, dum se in judicio sisteret, quales sunt ad matrimonium protogandum jure probata, l. 1. 7. ff. de sponsalibus.

Non semper sufficit justas causas habere, ex quibus dissoluta sponsalia proponantur, sed ut plurimum illæ coram judice alleganda sunt, atque etiam, ubi opus sit, probanda, cum nusquam præsumatur obligatio, quam semel contractam fuisse non ambigitur, dissolutio. Dixi ut plurimum; ut exciperetur casus, quo tanta esset tam juris, quam facti certitudo, ut nemini venire in dubium posset, quin sint dissoluta sponsalia; quemadmodum contingeret, si alteruter ex sponsis publicè vel matrimonium cum altera contraxisset, vel monasticam professionem emisisset, vel sacerdotium ordinem suscepisset. In allegandis certis causis, quibus publicè interest, sponsalia non sortiri effectum, quando nimium cognatio sponsorum, aut simile quoddam juris publici vinculum sponsos matrimonio jungi impediatur, singulare jus est, ut etiam si unico teste probentur, iste tamen in judicio totam rem conficere possit, contra quam viget, si de celebrati conjugii dissolutione

ne ageretur, cap. 22. de testibus, cap. 12. de sponsalibus; imò nec tam requiretur testium citatio judiciaria, dummodò testes ipsi spontè non se offerant, sed per eum, qui sponsalia dissolvi postulat, coram judice sistantur, argumento cap. 30. de testibus. Aliquando etiam admittuntur testes, si æqua id suggerat causa, qui privatim & clam testimonium ferant, & sine nominis publicatione, dicto cap. 12. de sponsal., necnon deficientibus testibus una publica loci fama in causa erit, cur sponsalia implenda non sint, nisi fama ipsa contrariis, & aptis probationibus elidatur, cap. 27. de sponsal., cap. 2. de consanguinit., & adinit., contra quam viget in matrimonio dissolvendo, cap. 5. de eo qui cognovit. In cæteris autem causis, in quibus de dissolvendis sponsalibus controversia est, quin publicè intersit, celebrari matrimonium, aut non celebrari, sed tantum sponsorum interest, fiet locus probationibus, & probandi modis ordinariis, dum tamen meminert judices, in dubio pro dissolutione sententiam ferre debere, ob eam singularem rationem, quòd matrimonia publica auctoritate inter contentendos, jurgantesque contracta tristes exitus parere soleant. Quòd si sponsi ipsi coram judice constituti de causa impediendi futuri matrimonii consentiant, ubi æqua sit utriusque consensus, per judicem ita recipienda erit, ut ab aliis ulterioribus probationibus absteineatur, quemadmodum, si ex. gr. tam sponsus quam sponsa fateantur, mutuo dissentens se resiliisse à sponsalibus. At quum unus tantum, qui dissolutionis causam allegat, suo duotaxat testimonio eandem probare nititur, quod ex. gr. adhoitatis cum sponsa sua impedimentum intercedat, ubi alia non subsint graves conjecturæ; etiam si ad jusjurandum paratus sit, non admittetur; neque enim qui controversiam aut infert, aut patitur, ita suæ voluntati relinquendus est, ut ex ejus affirmatione, vel juramento cau-

cau-

causæ decisio pendeat, argumento dicti capituli 5. de eo, qui cognovit. Potiore jure puto non admitti eum, qui sponsalia executioni mandari postuler, dum aliàs non habet contractorum sponsalium apertas probationes, quam quas suo testimonio firmat; imò neque in hac re fieri potest locus jurjurando, quod suppletivum vocant, ubi probationes non satis per se idoneæ sunt ad instruendum judicis animum, etiam si aliàs semiplenæ dicantur, ne in re gravissima, & quæ semel inita dissolvi amplius nequit,

qualis est, conjugii celebratio, invitam sponsam ad conjugium trahere concedatur unius sponsi potissimum voluntati, quæ facillè ob ardens futurarum, quæ sperantur, nuptiarum desiderium eò rapiunt, quo minus sollicita sit de temeranda jurisjurandi sanctissima religione.

Ad ea, quæ hucusque tradita sunt, in nitidiorè adhuc luce collocanda, plurimum facere possunt quæstiones aliquot, quas separatim in hunc locum transtulimus dirimenda.

QUÆSTIO I.

An Sponsalia subsequente copula matrimonii jure habeantur.

Multum interest ad definiendam propositam quæstionem distinguere, an eadem exigenda sit ad juris communis ante Tridentini Concilii constitutiones. Quoties consistendum sit in veteribus Maximorum Pontificum decretalibus, eam jam definitivè videntur suis temporibus Innocentius III., & Gregorius IX. in cap. 15. 30., & 32. de sponsalib., quibus decernitur, secuta copula inter sponso, non jam meram sponsalium obligationem subsesse, sed verum contractum matrimonium intelligi, dummodò vera copula, non tantùm nisis in copulam intercesserit, dicto cap. 32. Nolim tamen ita quisquam hæc intelligat, quasi ex conjunctione illicita duorum vi sua matrimonium emergat, quod, uti suo loco dixi, non tam in conjunctione corporum, quam in præstita fide, seu mutua conjugum consensione consistit. Potius ita res sese habebit, ut præsumatur verus inter sponso interfuisse consensus de præsentia, statim ac ad ulteriora conjugii officia progressi sunt; atque hujus præsumptionis duo sunt gravissima argumenta, quorum

primum est contractus sponsalium præcedens, alterum copula subsequens; neque enim aliud censetur sponsi in subsequente copula voluisse, quam executioni demandare, quod in sponsalium contractu data fide sponderant, quæ sanè præsumpta matrimonium ante Concilium Tridentinum substinebantur. Reverà data fides sponsalium ad conjugium refertur, & in ea jam inest conjugii contrahendi voluntas. Hæc tamen nondum ideo conjugium dicitur, quia in futurum actum confertur, quando conjugium tantùm dicitur de præsentia. Intercedente sponso copula, sublata videtur factò contrahentium omni adjecti olim temporis mora. Quid igitur obest, quominus ea fides, conjugalis fidei jure censetur? Neque fortè audiendus esset sponso, si exciperet, se non animo conjugii eò devenisse, ut sponsa commisceretur; etenim hæc exceptio in judicio admittenda non esset, tanquam bonis moribus omninò repugnans. Hæc observatio non solum utilis est ad rectè percipiendam Decretalium disciplinam, verùm etiam in nonnullis provinciis adhuc necessaria est, nimirum in iis, in quibus

quibus Tridentina sanctio de clandestinis conjugii irritatis non est promulgata, & in quibus adhuc viget commune jus Decretalium. Quòd si ad sanctiones Tridentinas hæc disceptatio exigatur, quibus salubriter cautum est, ut conjugia minime valeant, si præsentè Parocho, & testibus non sint celebrata, sess. 25. cap. 1. de Ref. matrim., sanè concludendum erit, post Tridentinum Concilium in iis locis, in quibus decretum illud promulgatum est, ea sponsalia nunquam matrimonii jure censi, quousque coram Parocho, & testibus sponsi consensum suum de matrimonio de præsentia contrahendo non explicent. Sunt qui adhuc putant, tunc contractum matrimonium dici posse, quando & Parochus, & testes præsentès in contractu sponsalium fuerint. Verùm id esse videtur contra expressum Tridentini Concilii decretum, quo de præsentia Parochi, & testium, dum matrimonium contraheretur, statutum fuit ad majorem rei gravissimæ gestæ solemnitatem; Parochus autem, & testes in proposito non de celebrato matrimonio, sed tantùm de celebratis sponsalibus testimonium ferre possent, quod satis esse celebrandis ritè conjugii hodie non videtur. Sunt præterea qui putant, adhuc disciplinam Decretalium vigere in ea specie, qua conjugium coram Parocho, & testibus celebratum esset ab impuberibus nondum celebrando conjugio idoneis, qui deinde post pubertatem copulam habuerint. Verùm & heic iterum circumvenitur mens Patrum Tridentinorum, qui dum statuerunt, conjugio contrahendo Paro-

chus & testes præsentès esse oportere, de eo conjugio locuti sunt, quod subsistere posset, non quod irritum ex defectu personarum diceretur; nisi forte ageretur de impuberibus, qui Parochum, & testes decepsissent, vel ex ætatis suæ ignorantia puberes se credidissent, & tanquam puberes in conspectu Ecclesiæ accessissent; ad hanc enim veluti extra ordinem contingentem speciem non est verosimile Patres Tridentinos intendere voluisse, eandemque decreto suo comprehendere, & conjugium illud subsequente copula confirmatum irritum declarare. Cæterùm ego non dubito in proposita quæstione, quia, si post celebrata sponsalia copula subsequatur, etiam post Tridentinum decretum, & in iis locis in quibus Tridentina constitutio promulgata est, ac viget, sponsi ipsi arctius urgeri, atque omnibus modis adigi debeant ad matrimonium in conspectu Ecclesiæ contrahendum, ne fortè exinde gravia in rempublicam incommoda oriantur. Statim ac enim sponsi voluntate sua, dum sponsalia contraherent, in matrimonium consenserunt, statim ac deinde voluntatem ipsam non amplius in futurum suspendere secuta copula demonstrarunt, cum perfectus undecumque videatur consensus illorum, sine ulla sunt excusatione, si prætextu non observata solemnitate ecclesiasticæ voluntatem suam non nisi per dolum & fraudem revocent; quam potius fraudem, dolumque quoquo modo purgant, si eousque gesta in conspectu Ecclesiæ rata haberent.